



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119207**

§. 107. Innocentii XI. Papæ studium in extirpandis noxiis doctrinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII. „auditis & re sanctissimo D. N. relata,  
A. C. 1679. „& coram sua Sanctitate proposita,  
 „anacum votis ipsorum Eminentissimo-  
 „rum & Reverendissimorum Domino-  
 „rum S. R. E. Cardinalium, sanctitas  
 „sua decrevit & mandavit, ut ambæ pro-  
 „positiones omnino prohiberentur, sicut  
 „eas præsentis decreto damnat & pro-  
 „hibet, ut temerarias & minimum ut  
 „novas: mandatque, ne quisquam  
 „deinceps, cujuscunque sit gradus, or-  
 „dinis aut conditionis, illas, vel illa-  
 „rum alterutram audeat imprimere,  
 „vel inprimi facere, sive scriptis aut  
 „etiam oretenus docere, vel afferere:  
 „sub pœnis & censuris in indice libro-  
 „rum prohibitorum contentis, aliisque  
 „sanctitati suæ bene visis.„

## §. CVII.

*Innocentii XI. Papæ studium in ex-  
 tirpandis noxiis doctrinis.*

*Carol. mem.  
 pag. 224.  
 Argentre  
 Coll. Jud.  
 pag. 374.*

Jam supra meminimus, non modo  
 Franciæ Episcopos apud summum  
 Pontificem de corrupta morum doctrina  
 questos esse, sed etiam Lovaniensem  
 Academiam quosdam Romam able-  
 gasse, qui non tantum censuras contra  
 Lessii doctrinam de gratia jam Anno  
 1587. vibratas confirmari, sed insuper  
 sexaginta quinque propositiones ex Je-  
 suita-



Sæc. XVII.  
 A. C. 1679.

suitarum libris potissimum excerptas  
 proscribi contenderent: cum autem  
 summus Pontifex controversias hasce  
 imposito silentio sopitas resuscitare,  
 haud consultum censeret, disertam &  
 manifestam præfatæ censuræ approba-  
 tionem Lovaniensibus concedere re-  
 nuit, propositiones tamen unacum aliis,  
 quas Franciæ Præsules denuntiarunt,  
 hoc anno die secunda Martii ab Gene-  
 rali Inquisitionis Congregatione dam-  
 nari iussit, sequenti decreto: „Sanctif-  
 „simus D. N. Innocentius Papa XI.  
 „prædictus ovium sibi a Deo credita-  
 „rum saluti sedulo incumbens, & sa-  
 „lubre opus in segregandis noxiis do-  
 „ctrinarum pascuis ab innoxiiis, a fe-  
 „licis recordationis Alexandro VII.  
 „prædecessore suo inchoatum prosequi  
 „volens, plurimas propositiones par-  
 „tim ex diversis, vel libris, vel thesi-  
 „bus, seu scriptis excerptas, & partim  
 „noviter adinventas, Theologorum plu-  
 „rium examini & Eminentiss. Reveren-  
 „diss. D. Cardinalibus contra hæreti-  
 „cam pravitatem generalibus inquisito-  
 „ribus subjecit. Quibus propositioni-  
 „bus sedulo & accurate sæpius discuf-  
 „sis, eorundem Eminentissimorum Car-  
 „dinalium & Theologorum votis per  
 „sanctitatem suam auditis. Idem San-  
 „ctissimus D. N. re postea mature con-  
 „sidera-



Sæc. XVII. „siderata statuit, & decrevit pro nunt  
 A. C. 1679. „sequentes propositiones, & unam  
 „quamque ipsarum, sicut jacent, ut  
 „minimum tanquam scandalosas & in  
 „praxi perniciosas esse damnandas &  
 „prohibendas; sicut eas damnat & pro-  
 „hibet. Non intendens autem Sancti-  
 „tas sua per hoc decretum alias pro-  
 „positiones in ipso non expressas, &  
 „Sanctitati suæ quomodolibet, & ex  
 „quacunque parte exhibitas, vel ex-  
 „hibendas ullatenus approbare.

*Jæger Hist.*  
*Eccles. l. 9.*  
*cap. I.*

His præmissis sacra Congregatio  
 sexaginta quinque propositiones, quas  
 damnavit, recensuit, illas vero huc  
 adducere, supervacaneum videtur, eo-  
 quod passim ubique reperiantur, & Jæ-  
 gerus in sua Historia Ecclesiastica illas  
 referat unacum allegatis Auctoribus,  
 ex quibus decerptæ fuerunt. Postmo-  
 dum sacra Congregatio ita prosequen-  
 batur: „Quicumque autem cujusvis  
 „conditionis, status, & dignitatis il-  
 „las, vel illarum aliquam conjunctim,  
 „vel divisim defenderit, vel ediderit,  
 „vel de eis disputative, publice, aut  
 „privatim tractaverit, vel prædicaverit,  
 „nisi forsan impugnando, ipso facto  
 „incidat in excommunicationem late  
 „sententiæ, a qua non possit (præter-  
 „quam in articulo mortis) ab alio qua-  
 „cumque etiam dignitate fulgente, nisi  
 „pro



„pro tempore existente Romano Pon-  
 „tifici absolvi.,

Sæc. XVII.  
 A. C. 1679.

„Insuper districte in virtute S. Obe-  
 „dientiae & sub interminatione divini  
 „iudicii prohibet omnibus Christi fide-  
 „libus, cujuscunque conditionis digni-  
 „tatis & status, etiam speciali, & spe-  
 „cialissima nota dignis, ne prædictas  
 „opiniones, aut aliquam ipsarum ad  
 „praxin deducant.,

„Tandem, ut ab injuriosis conten-  
 „tionibus, seu scholastici, aut alii qui-  
 „cunque in posterum se abstineant, &  
 „ut paci & charitati consulatur, idem  
 „sanctissimus in virtute S. Obedientiae  
 „eis præcipit, ut tam in libris impri-  
 „mendis ac manuscriptis quam in The-  
 „sibus, disputationibus ac prædicatio-  
 „nibus caveant ab omni censura &  
 „nota, necnon a quibuscunque con-  
 „viciis contra eas propositiones, quæ  
 „adhuc inter Catholicos hinc inde con-  
 „trovertuntur, donec a S. Sede re-  
 „cognita, super eisdem propositioni-  
 „bus judicium proferatur.,

Ceterum insuperhabito Pontificis  
 decreto Pater Hurtado Jesuita sub præ-  
 textu Innocentianum decretum expli-  
 candi plures ex damnatis propositioni-  
 bus unacum P. Gobat & Tavernio in  
 suo Theologiæ compendio propugnavit,  
 & alii ex eadem Societate palam asse-  
 rebant,



Sæc. XVII. rebant, propositiones ab Innocentio  
A. C. 1679. damnatas, fuisse aut arbitrarie con-  
 fictas, aut ita falsificatas, ut tales Theo-  
 logorum nullus unquam propugnaret  
 aut idem quoque Jansenistæ circa quin-  
 que Jansenii propositiones a Pontifici-  
 bus damnatas assererent.

## §. CVIII.

*Apamiensis Episcopus graviter  
vexatus.*

*Abregé de  
l'Hist. Eccl.  
t. 10. p. 432.*

Interim Franciscus Caulet Apamiensis  
 Episcopus ob constantiam, qua se-  
 Regaliarum extensioni opposuerat, gra-  
 vissimis premebatur vexationibus: Ex-  
 pilatur ejus Palatium Episcopale, ab-  
 ripiuntur omnia etiam necessaria, adeo  
 ut ad extremam redactus paupertatem,  
 nonnisi eleemosyna a probis erogata  
 vitam sustentaret; & ne id quidem sat-  
 tutum erat; ipsa enim hæc pietas be-  
 neficis crimini dabatur, quinimo &  
 P. de la Chaise, Regem urgebat, ut  
 Pelletierum Detrouches, qui afflicto  
 Episcopo pecuniam submiserat, in jus  
 vocari juberet, cui tamen Rex hæc re-  
 spondit, *absit, ut me regnante dicatur,  
 quempiam ob datam eleemosynam fuisse  
 castigatum:* Solabatur equidem Ponti-  
 fex calamitate fractum Præsulem, da-  
 tisque ad eum literis die quarta Ja-  
 nuarii